


9
Dc 385









DE
CHALDAISMI BIBLICI ORIGINE

ET
AUCTORITATE CRITICA
COMMENTATIO.

CAR. ROD. HAGENBACHIO

THEOL. LIC. ET IN UNIVERSIT. LIT. BASIL. PROF. P. O.

A S. VEN. THEOLOGORUM BASIL. ORDINE

SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS ORNATO

AMICO INTER PAUCOS COLENDO

EORUNDEM STUDIORUM OFFICIORUMQUE VINCULO IUNCTO

CONGRATULANDI CAUSA

SCRIPSIT

LUDOVICUS HIRZELIUS
TURICENSIS.

LIPSIÆ

PROSTAT IN LIBRARIA WEIDMANNIA.

A. MDCCCXXX.

Mille in questo dì
Voti, auguri, e speranze
Formo nell' alma mia.

Metastasio.



Nullum fere in omni disciplina isagogica locum deprehendas, qui tantam sententiarum diversitatem expertus tantisque adhuc tenebris obrutus sit, quam ille, qui circa aetatem, qua singuli codicis sacri libri scripti sint, accuratius definiendam versatur. Cuius quidem rei difficultatem, de Novi Testamenti libris si quaeras, aliquanto esse minorem, cum totum eorum volumen breve unius fere seculi spatium haud egrediatur, ac prisca illorum hominum, qui librorum scriptores feruntur, si paucos excipias, fides certioribus nitatur argumentis, facile omnes concedunt. Unde in hoc librorum genere de tempore, quo singuli prodierint, variae virorum doctorum sententiae facilius inter se conciliantur neque unquam in tam diversas abiere partes, quam in aetate librorum Hebraeorum definienda id accidisse constat. Maius quidem de his dissidium doleas, non tamen mirum dicas; causa enim in promptu; nam via profecto impeditior, vestigia obscuriora; opusque laboriosius, et quod laborem saepius frustretur, aggressi sunt illi, qui in aetate V. T. librorum indaganda ac definienda operam suam ponerent. Interiectum enim inter antiquissimos novissimosque codicis Hebraei libros longum mille annorum, et longius etiam, intervallum, ita ut de integris saepe seculis, non de paucis annis ambigatur; scriptorum nomina percontantibus iniqua conquerenda nobis est sors, qua plurimorum vel ipsam nominis memoriam abstulit vetustas, ac si forte paucis pepercit, ut Josuae, ut Davidis, ut Salomonis, ut Danielis, probe cavendum est, ne historia decipiamur, ac, quae veluti eius testimonia nobis tradita offeruntur, iusto maiorem iis fidem habeamus. Etenim non modo aliunde nulla saepe subvenit, quae illa confirmet, certior notitia, sed in librorum indolem et argumentum subtilius si inquisiveris, historiae quasi obloquuntur ipsi, ridentque alii vanam, quam a bonorum hominum vel studio vel credulitate, magna iis et laudata nomina praemittentium, traxerint gloriam, alii in parte saltem huius gloriae ipsis vindicata acquiescunt, paucissimi tantum iique integri suo se iure hoc illudve nomen prae se ferre contendunt; nos vero, falsa multorum specie inducti, quominus paucis, quae fide sunt digna, habeamus fidem, ne molesto hoc errore deterreamur.

In tanta igitur horum testimoniorum — externa vocare solent — et levitate et paucitate dispicientibus, an alii superstites sint testes, a quibus idoneum proficiscatur

hac in causa iudicium, sola relinquitur ipsa unius cuiusque libri indoles, argumentum dico et linguam. Et ad illud quidem quod attinet, constat, scriptores, rerum gestarum inprimis, haud raro narrationibus pauca inseruisse verba brevesque observationes, sive explicationis causa, sive alio ductos consilio, in quibus aliqua significatio, cuius aevi essent, appareret; pari modo aliam esse aliorum res gestas tractandi rationem, narrationumque non apud omnes eundem colorem et habitum, antiquiorum maiorem simplicitatem, insequentium minorem, exornatam historiam et sub mythis miraculisque occultatam; poetarum denique et philosophorum opiniones, et omnem sentiendi cogitandique tenorem ipsorum saepe aetatem repraesentare. Levis ad speciem res est, sed cuius maxima vis praeter alios in libris Mosis, Jobi, Ecclesiastae, flagitatque ea diligentissimum idemque cautissimum studium, multum praeterea saepe acuminis, ne aut vestigia deprehendisse nobis videamur, quae non sunt, aut caeci praetereamus, quae sunt. Utrumque quam sit vitatu difficile, ab altera parte docent, quae nuper excitatae sunt, contentiones de psalmis Maccabaeis, ab altera illorum sententiae, qui, quantumvis docti atque sagaces, ut e vulgatissimis exempla afferam, vel Jobi libro antiquissimis scriptoribus antiquius aevum vindicare, vel Pentateuchum integrum a Mosè derivare etiamnum student. Linguam vero singulorum librorum ita advertamus, ut eam ad normam puri castique sermonis examinemus, qualis exstat in libris superioris nec suspectae aetatis. Verum et hoc linguae examen sua laborat difficultate, ut iterum testis est vexatissimus Jobi liber, quem serioris orationis maculis, optimo, si quid video, iure notatum, ab omni huius modi suspitione nuperrime etiam liberare se posse Eichhornius ¹⁾ sibi videbatur.

Sed haec ipsa laudatissimi viri aliorumque circa alios libros sententiae vulgo receptis oppositae nobis occasionem offerunt, in univsum dicendi nonnulla de aetate librorum Hebraeorum e singulorum lingua diiudicanda, unde existimare liceat de Chaldaismorum auctoritate, quae hac in re maxima esse solet. Quam apparet tanto esse graviolem, quo purior sit castiorque illorum librorum sermo, qui ceteris habentur antiquiores, tanto autem infringi, quanto plura et in his reperiantur, quae sermonem Chaldaeam sapiant. Cum Chaldaismis, quos dicunt, non esse commiscendum serius Hebraice dicendi genus, differre potius hoc ab illis eo, quod, quae ad id sint refe-

¹⁾ Einleitung. Edit. IV. Tom. V. pag. 180 sqq.



renda, ei sint propria, progrediente cultura ipsius linguae Hebr. orta, neque habeant in sermone Chaldaeo, quae ipsis respondeant, haud quidem ignoramus, sed nunc mittamus hoc et in Chaldaismis unice occupati primum videamus, an eorum vestigia deprehendantur iis in libris, quos ante exilium Babylonicum scriptos esse ferunt, deinde deprehensa unde nata existimanda sint, paucis denique additis de auctoritate, quae iis tribui debeat in aetate librorum definienda.

Cerni autem Chaldaismos in sermonis Hebraei depravatione quadam maiori minorive, tum vocabulorum delectum, tum formas grammaticas et scriptiois, tum verborum potestates, tum denique eorum iungendorum rationem spectante, vix opus est quod moneamus. Exemplorum omnis generis numerum satis magnum proposuit Gesenius²⁾ et auxit Hartmannus³⁾, qui tamen nescio an plura perperam ei accensuerit, vel saltem huc traxerit, quae eodem iure Hebraea quo Chaldaea dixeris⁴⁾. Nobis vero, postulante ita instituti ratione, id nunc agendum est, ut, quae a duumviris illis clarissimis in universum disputata sunt, in rem nostram convertentes ad singulos libros referamus, quotquot ante Judaeos a Chaldaeis captivos ductos compositi creduntur. Qua nova Chaldaismorum farragine comparanda tantum abest, ut reliquias nos collegisse iure aliquis dicat, ut mireris fortasse, libros hic in censum venire, quos ab hoc loco alienos ne tangi quidem hac nostra disputatione existimaveris. Nam, ut a Pentateucho incipiam, statim in libro

Genesis legitur cap. 24, 7. in historia Sarae voc. מִלֵּל, quod constat usitatum voc. Aramaeum, Hebraeo דְּבַר respondens, huius tamen loco non nisi a poetis et

2) Geschichte der hebräischen Sprache p. 23 sqq.

3) Linguistische Einleitung in d. Studium d. BB. d. A. T. Lpzg. 1818.

4) Huc refero inter alia בִּינָה contemnere, Cant. 8, 7. חִיָּה Habac. 3, 2. vivum reddere, i. e. h. l. efficere, exsequi. in's Leben treten lassen; non opus est, ut ad Syriacum חִיָּה recurramus. Cf. l. l. p. 350. מִשָּׂא Num. 4, 24. quod Hartmannus p. 356. infinitivi formam Aramaeam habet, qualis videri posset collato לְעֵבֶר, cui respondet; sed confer Num. 4, 15. 47., quo utroque loco quoniam nomen sit vix dubium esse potest; id quod iam ex ipsa forma מִ appareret, quae, infinitivi, pronuntianda esset מִשָּׂא. Adde terminationem חִיָּה, cf. p. 351, 6., cuius iam in antiquissimis libris usum satis frequentem exemplis demonstravit Eichhornius Einl. Tom. I. p. 83.

scriptoribus serioris aetatis adhibitum esse. cap. 27, 29. ⁵⁾תִּהְיֶה cf. Jesai. 16, 4. cap. 30, 38. וַיִּהְיֶינָה pro וְתִּהְיֶינָה forma tertiae plur. fem. Chald., qualis exstat Dan. 8, 22. cap. 34, 47. שֶׁהָיְתָא, Hebr. עָדָה, עָדָה cap. 41, 51. וַיִּשְׁנֶי pro וַיִּשְׁנֵי cap. 42, 6. שְׁלִיטִי Hebr. שָׁר, cuius loco legitur in libris Coheleth et Danielis. cap. 47, 23. הָאָה pro הָיְתָה cf. הָאָה apud Danielem et Targumistas. Adde formas tertiae et secundae futuri pluralis in וְיִן exeuntes, ut 18, 18. יִתְסָרוּן ib. 29 sqq. יִמְצְאוּן. cap. 32, 5. תִּאמְרוּן, quae saepius occurrunt in libris Regum, ut 2; 18, 22. 49, 6. al. ⁶⁾

Exodi cap. 8, 22. (al. 26.) הֵן pro אֵם. cap. 15, 13. הֵן * pro אֲשֶׁר, ut in psalmis aliquoties. Cf. ps. 9, 16. Ewald Krit. Gramm. p. 650. 4. cap. 2, 19. (al. 20.) תִּאמְרוּן. Cf. Ruth. 4, 20. קָרְאוּ, quod a Masorethis Hebraeorum more enuntiatum et vocalium signis instructum puto pro תִּאמְרוּן, קָרְאוּ. cap. 15, 8. קָפְא coagulari, condensari, quo sensu hoc vocabulum, in libris Chaldaeis usitatum, in Hebraeis hoc solo loco legitur. cap. 18, 9. תִּרְדָּה lactari, proprium Chaldaeorum verbum, quod loco Hebraeorum שָׁמַח paucissimis tantum poetarum locis legitur. cap. 32, 16. תִּרְתָּה pro הִרְשָׁה. Adde cap. 5, 7. תִּאסְפוּן. cap. 18, 26. יִשְׁפֹּטוּ pro יִשְׁפֹּטוּ, servata more Aramaeorum ultimae singularis vocali in plurali. Cf. Lehrgebäude p. 306, 40.; ibid. יִבְיֵאוּן.

Levit. cap. 10, 6. cap. 13, 45. cap. 24, 10. v. פְּרָם de vestibus discindendis

⁵⁾ Asteriscus * locis laudatis impositus notat ea esse orationis poeticae; deest tamen in libris mere poeticis.

⁶⁾ Perperam Schumannus in prooemio ad Genesis librum egregie a se editum (Genesis hebraice et graece etc. Lipsiae 1829) §. 4. p. XLVIII. Aramaismis accenset: חִיתוּן 1, 24. ךְּ enim poetice additum non nisi iungendi vim habere vix dubium relinquit Jod simili modo annexum v. c. in אֲסָרִי, בְּנֵי c. 49, 41., quod nemo suffixum more Syriaco redundans dixerit. — אֶהְלֶה. Confer עִירָה c. 49, 41. et saepius. Vide Gesenii Lehrgeb. p. 212. not. 3. — תּוֹמִים 25, 24. quod non per Syriasmum pro תִּאֲוִים (Syriacum nomen est תִּאֲוִי) dictum puto, sed potius pro תִּאֲוִים, commutato inter se, ex sola scribendi varietate, אָ et ךְּ, ut aliquoties pro לֵאָה legitur לוֹ. — הִבָּאת 33, 41. conf. Ewald Krit. Gr. p. 452. — אֲסָרִי et בְּנֵי cf. supra; denique perdubium אֲבָרָה 41, 43. quod cum Gesenio Aegyptiacae originis, sed a scriptore Hebraeo ita inflexum existimo, ut etiam Hebraice sonaret.

Aramaeis et Rabbinis usitatum pro Hebr. קָרַע. cap. 41, 7. יִנָּר futuri Kal forma Chald. pro יִגּוּר, ut Deuteron. 20, 3. יִרְךָ pro יִרְדָּךְ. Cf. Bleekius in Rosenmülleri Repertorio bibl. exeg. Vol. I. p. 84. cap. 25, 24. עֲשֵׂת. cap. 26, 34. הֲרַצְתָּ, forma Chald. pro עֲשֵׂתָהּ cet. Alia eiusdem exempla apud Ezechielem et Jeremiam v. in Gesenii Lebrg. 431, 14, 2.

Numer. c. 17, 13. (al. 28.) תִּמְנוּנוּ pro תִּמְנוֹנוּ. c. 23, 3. מָה pro אֲשֶׁר. c. 24, 3. 15. שָׂתָם* voc. Chald. pro Hebr. פָּתַח. c. 30, 3. יִהַל pro יִהַל, more Chald. longa literae praeformativae vocali mutata in brevem, sequente dagesch forti.

Deut. c. 4, 2. לְשֹׁמֵר. Infinitivus cum ל, nullo, quo regatur, verbo praecedente, qui loquendi usus recentioribus libris et sermoni Chaldaeo fere proprius. Cf. Ewaldus p. 624 sq.; Hartmannus p. 371. Aliud exemplum 2 Sam. 14, 21. c. 32, 36. אֲזַלְתָּ* pro אֲזַלְתָּהּ. c. 28, 57. הֵיוּצֵאת, pro הֵיוּצֵאתָ et hoc ex Aramaismo pro הֵיוּצֵאתָ. cf. 4. Reg. 10, 22. — c. 28, 24. 36. יִדְבֹּק, יִדְבֹּקָה, pro יִדְבִּיק cet. — c. 32, 18. תָּשִׂי = תָּשִׂי fut. Hiph. v. נָשָׂה. cf. Lehrgeb. 432. not. 1. — c. 33, 21. וַיֵּיתָא pro וַיֵּיתָא, et v. אָתָה pro בּוֹא. c. 33, 2. דָּת* pro תּוֹרָה. c. 33, 3. תִּבֵּב* pro אֶהָב. c. 33, 27. אֱלֹהֵי קָדְמָם pro אֱלֹהִים.

Josuae c. 10, 24. הֵהֱלֵכְנָא. ה. articuli ad exemplum pronominis demonstrativi Aramaei relativi loco positum⁷⁾. cap. 14, 8. הִמְסִיו pro הִמְסִיו cf. Dan. 3, 21. רָמִיו.

Judicum c. 5, 28. יִבֵּב* voc. in libris Hebr. hoc solo loco obvium, in Aramaeis usitatissimum, respondens Hebraeo הִרְיֵעַ et רִנֵּן. c. 5, 10. מִדִּין*. c. 5, 7. * שֵׁ relativum; quod legitur etiam c. 6, 17. 8, 26. permirum, quod sola in historia Gideonis. c. 5, 14. עֲמָמִים*. cf. Nehem. 9, 22. 24. — c. 6, 6. יִדַּל pro יִדַּל. cf. Lev. 11, 7. —

7) Offendit quoque א finale, obvium praeter hunc locum Jesai. 28, 12, et Jerem. 10, 5., cui dubium Arabismi nomen dederunt, quod cave, ne ita intelligas, ac si ex Arabica lingua, quae propriam habet hanc tertiam pluralis personam scribendi legem, idem transierit usus in Hebraeam; nec vero librariis adtribuenda haec scriptio, qui cur tribus tantum locis eam adhibuissent, idonea vix posset cogitari causa. Verum eadem est א his locis terminationi ו adiunctae ratio, quae in verbis נִקְיָא, נִקְיָא, קְלִיָּא, קְלִיָּא, ut scilicet vocalis producta, in fine vocis posita, magis etiam producat. Hanc vero productionem in Arabica demum lingua, nondum in Hebraea certa lege et constanti usu adhibitam videmus, ita ut, si Hebraea eius exempla Arabismorum nomine appellare velis, id non originem, sed solam similitudinem innuat.

c. 9, 48. מָה pro אֲשֶׁר. cf. Num. 23, 3. — c. 17, 2. אֲתִי, in recentioribus libris, ut Regum, Ezechielis et Jeremiae multis locis obvium. Cap. 19, 1. פִּלְגֶשׁ pro פִּלְגֶשׁ, dagesch forti more Chaldaeorum soluto in Jod quiescens. Cf. Hos. 9, 6. et Hartmannus p. 344. In Targum. Cohel. 10, 12. legitur מִלִּי pro מְלִי. c. 16, 16. אֶלֶץ voc. hoc solo loco obvium⁸⁾, Syris frequens affligendi et opprimendi sensu. — cap. 13, 8. הִיגְלֶר⁹⁾.

Ruth. 1, 13. שִׁבֵר pro קָוָה. itid. לֶחֶן pro לֶבֶן, ut apud Danielem et Esram. cap. 3, 3. שִׁמְתִי pro שִׁמְתָּ. c. 3, 4. שִׁכְבֹּתִי. c. 2, 8. תַּעֲבוּרִי. Cf. Exod. 18, 26. c. 2, 8. תִּדְבְּקִין. c. 2, 9. יִקְצְרוּן. His adde, quae adnotavit de Wette, Einleit. §. 194.

1. Samuel. 1, 14. תִּשְׁתַּכְּרִין. c. 6, 12. וַיִּשְׁרְנָה. Cf. Gen. 30, 28. — c. 2, 8. תִּבְל*. — c. 9, 13. תִּמְצְאוּן. — c. 12, 7. צְדָקוֹת pro יֵשַׁע vel גְּמוּלִים, quo sensu haec vox, praeter paucos psalmorum superioris aetatis locos, legitur saepissime in libro Pseudoisaiano, et aliquoties in Proverbiis. cap. 17, 15. יַעֲשֶׂרְנִי pro יַעֲשֶׂרְנִי. Cf. Deut. 28, 21. 1. Reg. 8, 4. — c. 17, 47. יְהוֹשִׁיעַ pro יוֹשִׁיעַ. Cf. Dan. 2, 25. et psalmi 116. post exilium scripti v. 6. Alia exempla dedit Gesenius Lehrgeb. 386, 11. c. 14, 21. infinitivus praemisso ל eodem modo positus uti Deut. 4, 2.

2. Samuel. c. 21, 6. יִנְתֵן pro יִתֵן cf. Dan. 2, 16. יִנְתֵן. Esra 7, 20. Hartmann. p. 343, 6. — c. 19, 14. תִּמְרוּ pro תִּאמְרוּ, ut c. 20, 5. ad marginem וַיִּזְחַר pro וַיִּיחַר (quo tamen posteriori loco in textu legitur וַיִּיחַר quod enuntiandum וַיִּיחַר), Hos. 11, 4. אוֹכִיל. cf. Nehem. 13, 13. אֶצְרָה (אֶצְרָה) pro אֶאֶצְרָה. In dialecticis enim finitimis א prima verborum radicalis nunquam litera gutturalis habetur, sed ubique quiescit, fortasse quod ex litera quiescenti ׀ vel ל nata, huius deinde non locum tantum, sed etiam vim ac potestatem obtinuerit. cap. 22, 27. תִּתְבַר* pro

⁸⁾ Si fides habenda est ingeniosae Hamakeri coniecturae, legitur hoc voc. etiam Num. 24, 24.

Quem locum vir ille doctissimus in censura libri nostri: De Pentateuchi versionis Syriacae — indole Lips. 1825, Bibliothecae criticae novae Lugd. Batav. 1827, Vol. III. p. 324. sqq. inserta, sic rescribendum proposuit: אוֹי מִי יִהְיֶה מִשְׁמוֹ אֶלּוֹצִים מִיַּד כְּתִים, eheu! quale onus eorum futurum est, oppressorum violentia Cittaeorum!

⁹⁾ Non video, quo iure Ewaldus Krit. Gr. p. 650. 4. hunc locum in eorum numero notet, qui perperam allegentur ad laudatum articuli usum demonstrandum. Quae tandem potest alia esse articuli verbo finito iuncti potestas?

תְּתַבְרַר chald. Itaphel conformitatis causa, ut videtur, praecedenti תְּתַמֵּם adaptatum. Cf. Cant. 3, 41. et de Wettium ad ps. 48, 27. — c. 22, 40. וְתִזְדַּרְנִי pro וְתִזְדַּרְנִי ad formam Chald. Pael; alia eiusdem generis exempla ex Jobo atque Ezechiele deprompta attulit Gesenius Lehrgeb. 378, 40.

Joelis c. 2, 20. סוּף * voc. Aram. pro vulgari Hebraeo קֵץ finis. cf. Amos. 3, 15.

Jonae c. 4, 1. יַרְעֵנִי pro לְבַעֲיֵנִי c. 1, 7. שָׁל. c. 1, 6. עֲשֵׂת, unde עֲשֵׂתוֹת Job. 45, 2., pro פָּקֵד vel זָכַר. — c. 2, 1. 4, 6. 7. 8. verbum מָנָה parandi significatione obvium, ut in recentioribus libris v. c. Danielis. — c. 3, 7. מַעַם significatione ad Aramaisimum vergente, *sententia, mandatum*. Cf. Dan. 3, 10. 12. מַעַם de mandato regis. cap. 4, 11. רְבוּא (רבו) abiecta lit. ת terminationis ות et producta ך in ך. cf. Neh. 7, 66.

Hoseae c. 9, 6. קִימוֹשׁ * pro קִמוֹשׁ cf. Jud. 49, 1. — c. 10, 6. יוֹבֵל * pro יוֹבֵא, ut Jesai. 48, 7. — c. 11, 4. אוֹכִיל * pro אֲאֹכִיל. cf. 2. Sam. 49, 14.

Jesai. c. 7, 14. קָרֵאת * pro קָרֵאת et hoc pro קָרֵאה. cf. Deut. 32, 36. — c. 29, 1. יִנְקֶפוּ * cf. 2. Sam. 21, 6. — c. 46, 4. הָוִי * — c. 48, 7. cf. Hos. 40, 6. c. 21, 12. בְּעֵיוֹ, ubi significatio petendi observanda, Aramaeo verbo בְּעָה propria. —

Michae c. 6, 6. אֶכְפָּה * pro אֶכְפֶּה. cf. Levit. 11, 7. — c. 3, 12. עֵיִן * — c. 1, 10. הַתְּפִלָּה שְׁתִּי — c. 4, 18. הַחֲרָמָתִי.

Obadiae v. 18, יִלְלֵךְ * voc. Aram. pro Hebr. בָּעַר.

E Cantico exempla allata vide apud de Wettium Einl. §. 227. et apud Ewaldum Commentar. p. 49 sqq.

Proverb. c. 4, 10. תִּבְאָה pro תִּאֲכֹה. Cf. Deut. 33, 24. — c. 1, 28. יִקְרְאוּנִי pro וְנִי, suffixo terminationi Chaldaeae ך annexo. Idem 5, 22. et aliquoties in libris Pseudoisaiano et Jeremiae. — c. 5, 2. יִנְצְרוּ — c. 7, 20. כֶּסֶף plenilunium. — c. 42, 7. 8. שׁוֹק platea, vox Aramaeis usitata pro Hebr. רֶחֶב; alias nonnisi in Cantico et libro Coheleth legitur. — c. 14, 3. תְּשִׁמוּרָם. cf. Exod. 48, 26. — c. 34, 2. בַּר, ib. v. 3. מְלַכִּין.

E Psalmorum numero affero haec loca: 2, 42. בַּר — 9, 16. זֵי pro אֲשֶׁר; idem 142, 4. — 46, 6. שְׁפַר עַל delectari aliqua re, loquendi formula Chaldaeis usitata. Cf. Dan. 4, 24. Hebraei dicunt יִטֵּב בְּעֵינֵי פ'. — 64, 8. יִנְצְרֶהוּ — 63, 4. שִׁבַּח pro הִלֵּל; idem 144, 4. et saepius in psalmis recentioribus, 116, 1. 147, 1. Cohel. 8, 1. — 81, 4. כֶּסֶף. — 124, 3. 4. 5. אֲזִי. cf. Chald. אֲדִין. Prae-

Amos
6, 10
6, 9.

6, 10 5. 16.

tere alia loca, ut ps. 103, 3. תַּחֲלֹאֲיָכִי, ib. v. 5. נַעֲרִיכִי — 116, 12. תַּגְּמֹלוּהִי — ib. v. 19. בַּתּוֹכְכִי — 122, 4. שׁ praefixum; idem 135, 2. 144, 15. — 139, 2. רַע significatione Chaldaei רְעוּת voluntas, ib. v. 3. רַבֵּעַ pro רַבֵּץ, ib. v. 8. נָסַק ascendere pro עָלָה, ib. v. 20. עֲרִיף pro צָרִיף, יִמְרוּהָ pro יִאֲמְרוּהָ cf. 2. Sam. 19, 14., cum argumentum recentiore horum carminum aetatem vix dubiam relinquat.

Atque haec e variis libris deprompta Chaldaismorum exempla addidisse sufficiat. Studioso quidem ea excerpta, non ita tamen, ut me quisquis sagacior et diligentior eorum numerum facili fortasse negotio augeat, vel adeo ex iis libris nonnulla proferat, a quibus pervestigatio mea abfuisse forsitan visa fuerit, Amosum dico, Nahumum, Zephaniam et Habacucum. Quamquam equidem quatuor horum librorum linguam omnium purissimam existimo, ac si quis forte, mendarum vestigia cum pulvisculo excutiens, eorum quoque linguam maculis inquinatam dixerit, harum tamen paucissimas reperiri illum spero mihi esse concessurum. Gaudebo, si falsus fuero. Nam quo quis illarum plures detexerit, eo lubentius mihi assentietur in universum contententi id, quod exemplis supra allatis iam demonstravi, Chaldaismorum, quae recentioris aetatis indicia haberi consuevere, vestigia apparere in libris superioris aetatis tantum non omnibus, in aliis pauciora, plura in aliis, ita ut aut horum omnium origo in tempora cadat hucusque creditis seriora, aut in eruenda omnis loci causa aliarum rerum, quam temporis quo libri prodierint, ratio sit habenda. Verum enimvero, ego non is sum, qui superiorem illam aetatem, cuius memoriam ad nos perlatam solis his libris debemus, sua laude, quae omnis in eorum testimoniis posita est, temere defraudare velim eoque minus, quo magis mihi persuasum habeo, aliam esse viam ad illustrandum locum difficillimum ingrediendam, qua tentata Chaldaismos in libris antiquioris aevi obvios certis fortasse legibus adstringere et huius quoque rei constantem aliquam rationem monstrare contingat.

Quartuplex autem Chaldaismorum genus vel quatuor diversas, si originem spectas, eorum classes habere mihi videor. In quibus primo loco posuerim eam, quae ad linguae Hebraeae et Chaldaeae cognationem, tanquam fontem, reducenda est. Utraque enim cum ex eadem stirpe oriunda esset, communem utraque cum agnosceret matrem, etiamsi proprium deinde utraque indueret habitum ac singularem efficeret dialectum, patria tamen indoles non potuit unquam prorsus extinguui, sed vestigia alterius necesse erat altera prae se ferret, quasi testes vinculi ipsa olim



natura iuncti superstites. Huiusmodi vero alterius linguae in altera vestigia parum accurate sive Hebraismos sive Chaldaismos dixeris; quo nomine nonnisi tum iure uti potes, si quae in altera alteram sapiunt, alteram ea, ut non sua, ab altera accepisse vel mutuata esse constat. Sunt ea potius communis originis monumenta, ex antiquissimis illis temporibus repetenda, quibus lingua Hebraea cum cognatis dialectis coniuncta Semitarum linguam late patentem constituebat necdum, quae singulae postea exstiterunt, dialecti ex hac promanaverant, ita ut vero nomine archaismi appellentur. His ego accensuerim formas verborum tertiae et secundae utriusque numeri futuri in ׀ exeuntes, quarum cum idem obtineat usus in lingua Arabica, quo iure Chaldaismos, eodem eas possit aliquis Arabismos dicere. Sed misso hoc utroque nomine in illo acquiescamus, nimirum sic de his terminationibus statuantes, fuisse eas communis Semiticae linguae formationis proprias, postea vero, variis ex una matre enatis dialectis, constanti usu eas servatas esse in dialectis Aramaeorum et Arabum, rariori tantum adeoque contra legem, quae eas potius abrogaverat, in Hebraea; in hac tamen denuo receptas ex Aramaea, quo tempore Hebraei Chaldaeorum consuetudine usi suam illorum linguae miscerent, unde iterum multoque saepius occurrunt in libris exilii Babylonici aetate et posthac scriptis. Pari modo in hisce communis linguae Hebr. et Aram. originis vestigiis habeo formas יקים Gen. 7, 4. 23. ישפוטו תעבורי Exod. 18, 26. Ruth. 2, 8; יסב pro יסב sexcenties obviam; ויהמנה Gen. 30, 38., quod nolim per enallagen generis¹⁰⁾ positum dicere pro ורתח, sed hac antiquiorem ac primitivam formam, semiticae linguae peculiarem existimo, in Hebraeorum dialecto, progrediente tempore et linguae cultura, mutatam, servatam in Chaldaea et Arabica. Addo literas ט et ת in antiquissimis libris Aramaeorum more interdum pro צ et ש positas, ut in מיררה, quod legitur iam Genes. 25, 16. Cant. 8, 9: quod vocabulum cum a radice מיר derivetur, quam Hebraei alias constanter ציר efferre solebant, probabile est מיר antiquioris originis esse, quam ציר, hanc vero formam ortam demum, cum lingua Hebraea, progrediente ipsius cultura, in dies magis magisque ab Aramaea discederet, servata tamen antiqua ad Aramaismum vergente nominis verbalis forma מיררה. Idem valet de forma

¹⁰⁾ Est et haec in iis grammaticorum instrumentis, quae Hermannus promptissima omni ulceri emplastra dicit in Dissertatione de hyperbole. Lips. 1829.

חַרַּת Exod. 32, 16. in prosa oratione obvia, quae, si non caeco casui eam deberi velis, aliud vix admittit de se iudicium. In Cantico alia huius generis exempla leguntur ut נָמַר 1, 6. 8, 8. 11, 42. פְּרוֹת 1, 17. quae nescio utrum poeticae orationi tribuam, an pari modo huc referam. Denique huc pertinere videntur formae quaedam more Chaldaeo contractae, ubi Chaldaismus, quem dicunt, solis vocalium signis inest, ut תִּאֲהָבוּ, חֲטָאִים, אֲפֹי, הַיּוֹצֵת; non enim video, huiuscemodi vocalium correptiones quin in Hebraea quoque lingua locum habere possent, qua lege impedirentur.

Alterum genus vereor ut et ipsum rectius dicatur Chaldaismus continere, quam proprietates quasdam (idiotismos) vulgaris loquendi usus. Refero huc שְׁ relativum, quod in libro Iudicum aliquoties in prosa oratione legitur, et שָׁל in historia Jonae. Illum librum in antiquissimis esse omnes consentiunt; non ita de hoc, quanquam ingenue fateor, eum, utpote prophetis incitandis eorumque auctoritati ac fidei confirmandae potissimum scriptum, omni sua carere vi, si extinctorum prophetarum tempore prodiiisset. Addo הָא pro הִנֵּה Gen. 47, 23; הֵ ה' articuli relativi loco positum, הֵן pro אִם Exod. 8, 22; מֵהָ pro אֲשֶׁר Num. 23, 3. Jud. 9, 48. quae omnia quo iure aetati singulorum librorum imputari possint, equidem non perspicio. Cum vero alia praeter haec vulgaris Hebraice loquendi usus indicia exstent¹¹⁾ ipsaque exemplorum, quae attuli, natura talis sit, ut quaecunque alia via, quam ad ea illustranda excogitaveris, remotior minusque apta videatur, haec quoque e Chaldaismorum numero delenda et ad Hebraeum sermonem referenda duxi, cui coniecturae nihil nisi nomen obstat. Stilus historicus cum natura sua ad vulgarem loquendi usum proxime accedat, facile fieri potuit, quod interdum factum esse videmus, ut scriptores res gestas narrantes vocabulis quibusdam et formis uterentur ad speciem quidem Aramaeis sed vere, ut videtur, huic propriis. Quocirca ad id genus referendum insuper puto פָּרַם Lev. 40, 6. al. שָׁבַר Ruth. 4, 13. עֶשֶׂת Jon. 4, 6. מִנֵּה, מַעַם ib. 2, 4. 3, 7. יוֹלֵךְ, יוֹלֵךְ Deut. 28, 24. 36. Adderem חָדָה Exod. 48, 49. nisi parum probabile esset, vocabulum, quo utebantur poetae, pertinuisse simul ad vulgare dicendi genus. Attamen et שְׁ relativo poetae usi sunt! Omnis haec res quantum sit in ambiguo posita, quam sit difficile aleaeque plenum, distinguere inter utrumque hoc Hebraice dicendi et scribendi genus, bene quidem novi, et me ipsum sensu magis quam certis ratio-

¹¹⁾ Cf. Gesenii Lehrgebäude p. 290. 731 sq. 736. 790.

nibus legibusque in eo distinguendo ductum esse aperte profiteor. Sed iuvat interdum et sensui aliquam habuisse fidem, si via tentanda est nondum vel paucissimis tantum adhuc trita; qui insequantur, videant, tutiora ut eruant vestigia.

Tertiam classem efficiunt veri Chaldaismi, qui sunt poeticae orationis. Poetae autem Hebraeorum cum verbis formisque uterentur ex aliena lingua petitis, huius rei triplex potest cogitari causa. Aut enim hoc factum est ex communi omnis orationis poeticae indole, quae vulgaris usus sunt, adspernante, antiquiora et rariora conservante, alia denique nova peregrinae originis introducente; aut rhythmici commoditatem spectantes usitatarum formarum ac verborum loco peregrinas, ad numerum aptiores, praesertim in fine sententiarum sono grandiores admiserunt; quod idem observare licet in Graecorum poetis tragicis, Atticae, qua utebantur, linguae Doricae quasdam formas, ut sono grandiores, admiscerentibus; aut tandem membrorum parallelismus ferebat, ut, cum singularum sententiarum singulae ex lege sibi responderent voces synonymae, Hebraea lingua bonam forsitan verborum copiam haud suppeditante vel, quam suppeditaret, scriptore reiiciente, hic ut ad peregrinam confugeret vocem, necesse esset. Illius generis, quod primo loco posui, exemplorum largam praebent messem loca supra allegata; secundi etsi plura quam in antiquioribus, deprehendas in libris serioris aetatis, ut illa e psalmis 403 et 406 allata (quibus adde 2. Reg. 4, 3. 7.)¹²⁾, non tamen desunt et in illis, ut **אִימָתָה**¹³⁾ pro **אִימָה** Exod. 44, 16; **סוּפְתָהּ** Hos. 8, 7; **בַּר** pro **בֵּן** ps. 2, 42; **עַמְמִים** Jud. 5, 14.; tertii omnium paucissima exstant, nimirum ob ingentem vocum synonymarum numerum, qua lingua Hebraea non Arabicae quidem, sed Aramaeae aliisque multis praestat; quo pertinere videtur, praeter **קָפָא** Exod. 15, 8., **כְּסָא** ps. 81, 4; nam sive festum tabernaculorum, sive paschale hoc

¹²⁾ Pari modo haec, quam rhythmici habuerunt, ratio cernitur in formis productis **אִתִּי**, **בְּעֵי**. Jes. 21, 12. Job. 16, 12. al.

¹³⁾ Vix enim de communi huius **ה**, quod paragógicum vocare solent, statui nominum absoluto annexi et terminationis statum Aramaeorum emphaticum formantis origine dubitari potest. De qua consentit etiam Gesenius Lehrgeb. 545. Verum cum primitiva eius vis atque potestas in Hebraea lingua periret, factum est, ut interdum nominibus annecteretur articulo iunctis, cuius rei simile quid accidit Syris, quos statum emphaticum, inprimis nominum masculinorum, saepe pro absoluto et indefinite posuisse videmus. Cf. Hoffmanni Gramm. Syr. §. 92.

loco ea innuatur, consilio poeta hac voce usus est, respiciens quod praecessit חֲדָשׁ; propria autem voce, plenilunii notionem exprimente, lingua Hebraea carebat.

Sequitur quartum Chaldaismorum genus eo referendorum, quod hominis Aramaei verba allegantur, ut in laudatissimo Geneseos loco, c. 31, 49., ubi Laban Aramaeus monumentum a Jacobo erectum et גִּלְעָד dictum יַגְר שְׁחָדוּתָא appellasse narratur. Pariter in oraculo Bileami, qui idem Aramaeam duxit originem, pauca leguntur vocabula Aramaea, quae tamen etiam orationi poeticae tribui possunt, ut שָׁתָם 24, 3. 15. et ex Hamakeri ¹⁴⁾ sententia v. 24. אֶלֶץ. In rebus Aegyptiacis, de quibus liber Genesis agit, cum varia legantur verba peregrinae, non ubique certae originis, quae enumerare hic non attinet, fieri potuit, ut scriptor, propriae vocis ignarus, Aramaea ut peregrina uteretur ad exprimendam notionem vel rem Aegyptiacam, velut שְׁלִיט Gen. 42, 6., quo vocabulo consilio adhibito, fortasse disertius etiam quam ipse doceret contextus, significare voluit, fuisse illud, quo Iosephus fungebatur, munus externum nec alii patrio simili comparandum.

Quintum etiam haberem quod adderem Chaldaismorum genus, nisi de ea quae sentirem dicens in campum me deduci metuerem, in quo diu iam et his ipsis diebus acerrime pugnatum, sed incassum fere ab utraque parte tela iactata esse video. De dialectis enim ipsius linguae Hebraeae, de quibus nuperrime etiam Ewaldus et Hoffmannus ¹⁵⁾ in contrarias partes disputarunt, illius viri cl., quem priorem dixi, iudicium eiusmodi semper mihi visum est, ut natura rei cogitantem facile eodem perducatur. In primis vero mihi probatur, in septentrionalibus Palaestinae partibus, ut Aramaeis vicinis, linguam Hebraeam magis, quam in ceteris, ad Aramaeam inclinasse ¹⁶⁾; quod quam prope ad veri similitudinem accedat, ex mea quidem sententia dici vix

¹⁴⁾ Ut novam a se propositam lectionem (cf. not. 8.) commendat, Quid, inquit vir doctissimus, magis naturae consentaneum est, quam ut huiusmodi vocabulum in Bileami, hominis Aramaei, versibus reperiatur, sive, quod equidem minime verosimile existimo, Hebraice cecinerit, sive, quae ipse Syro sermone cecinerat, postea in Hebraismum translata sint, vocabulis Aramaeis, quae servari poterant, relictis.

¹⁵⁾ Ewald Krit. Gramm. §. 6. Hoffmannus in Encyclopaedia artium literarumque ab Erschio et Grubero edita, Sect. II. Part. III. p. 378. s. a. Hebr. Sprache.

¹⁶⁾ In hac ipsa vicinitate necessaria sine dubio causa posita est, cur ita fieri oportuerit neque aliter potuerit, quam ab Ewaldo omissam reprehendit Hoffmannus l. l. p. 379.

potest ¹⁷⁾. Itaque, si de hoc illove scriptore in illis terrae Israelitarum regionibus ante exilium et nato et scribente certo nobis constaret, nullus ego dubitarem, quin, quae in eius libris ad Aramaice dicendi genus pertinerent, ad dialecti proprietatem tamquam fontem reducerem. Sed etiam atque etiam dolendum, certis argumentis de nullo id effici posse; nam coniectura tantum Ewaldum id assequutum esse de auctoribus carminis Deborae ac Cantici Canticorum, non minus, quam de Hosea propheta, qui omnino an regni Israelitici civis fuerit, etiamnum dubitatur, Hoffmannus bene monuit. Accedit, quod, etiamsi de septentrionali horum librorum origine luculentissime constaret, ea tamen sola parum sufficeret, quam ut inde certum posset duci argumentum externum, fuisse illis Palaestinae partibus propriam aliquam linguae Hebraeae dialectum, in frequentiori verborum formarumque Aramaearum usu conspicuam. In quo cum, ut supra ostendimus, poetae quoque mirifice sibi placerent, priusquam ille ad dialectum exemplis constituendam aliquid conferat, eundem obtinere apud scriptores rerum gestarum ex illis terris oriundos, omnino in libris oratione prosa scriptis, demonstrari necesse est. Quae cum ita sint, neque hoc demonstrari possit, in quatuor illis generibus, quae descripsimus, nobis acquiescendum putamus. Non omnia quidem ea complectuntur Chaldaismorum exempla supra allata, optimeque ipse sentio, restare haud ita paucas et formas et voces, quae ad nullum genus referri possint. Quorum in numero non dubito esse, quae et ipsa rectius e Chaldaismorum tabula prorsus deleas et Hebraea dicas, propria fortasse huic illive aetati, ut videre est in quavis lingua, alia aetate alias in usu esse voces ad eandem notionem exprimendam, et formas quoque grammaticas et scriptionis temporis decursu multis modis immutari. At, quaeso, in tanta literarum Hebraearum monumentorum paupertate et plurimorum librorum aetatis ambiguitate, hac de re quis audeat aliquid definire? quis neget, vix aliter fieri potuisse, quam ut multa, quae illustrandi locus hic esse videretur, dubia natura, dubia relinquerentur? Hic sane valet illud Hermannii V. S. dictum, esse quaedam etiam nesciendi artem et scientiam, ac quemadmodum turpe sit nescire, quae possint sciri, non minus turpe esse, scire se putare, quae sciri nequeant.

¹⁷⁾ Consentientem video doctissimum operis Eichhorniani isagogici censorem in *Ephemerid. lit. Halens. supplem.* Nro. 16. p. 126 sq. 1828.

Sed quaestio iam instituenda, scriptores Hebraei unde suam linguae Chaldaee cognitionem hauserint; quae quidem, quo est facilior expeditu in libris recentioris aetatis occupata, tanto est difficilior in antiquioribus. Ac video duplicem hic nobis occurrere difficultatem, unam in probabili sermonis Aramaei cultura positam, alteram in historia. Aramaearum enim literarum nullum usquam commemoratur monumentum aevi exilium Hebraeorum antecedentis, non historia, non carmina, non liber ullus, cuius vel vestigium memoriae nobis innotuerit; quod silentium nullius esse momenti minime dixerim, imo in eam partem trahendum puto, ut inde colligamus, qualis fuerit illo tempore huius linguae conditio, Hebraeâ, iam tunc libris scriptis celebrata et ad altiorem quendam culturae gradum elata, multo inferior et ita comparata, ut scriptores Hebraei illam in suum traxisse commodum vix existimandi sint. Nam iure sane mirareris, si accidisset, quod plerumque accidere non solet, ut lingua, quae ipsa demum formari coepta est, cuiusque ne initia quidem publici usus facta sunt, alius, iamiam aliquanto perfectioris et libris scriptis tractatae, usui inserviret, huiusque scriptores, ut gravitatem aliquam ac dignitatem vernaculae adderent, ad illam confugerent. Quae cum ita sint, nec fieri posset, ut Hebraei, quam habebant Chaldaeorum linguae cognitionem, ex eorum literis sibi compararent, non alius superest fons, nisi consuetudo cum Aramaeis ab antiquissimo inde tempore Hebraeis servata. Itaque age, ad historiam remissi, audiamus eius de hac consuetudine testimonium. Sed hic altera nobis occurrit difficultas, historiae silentium. Prorsus enim silet ea de tali gentis Hebraeae cum Aramaeis, et Babylonios dico et Syros, coniunctione, quae vel minimum ad nostram rem explicandam faciat. Quam enim commemorat, ea non nisi hostilis est ac bellicosa, nec multos spero fore, qui, creduli Bertholdti⁴³⁾ sectatores, quemcunque vel Syrorum vel Assyriorum regis impetum in Hebraeorum terram statim ad horum linguam depravandam plus minusve valuisse opinentur, pauciores etiam, qui hac via Hebraeos sermonem Aramaicum didicisse contendunt. Nam fac eos didicisse, num probabile est, invisam exterarum gentium linguam a scriptoribus populi Israelitici in ipsorum usum conversam et ad patrium sermonem exornandum atque amplificandum adhibitam esse? ac si esset probabile, num eo rem ad liquidum perductam putemus? Sane aliquid profecimus, sed non multum. Nam illud facile mihi lar-

⁴³⁾ Einleitung. Vol. III, p. 924.

gieris, ante Manassis, Judaeorum, et Pecachi, Israelitarum regis, aetatem illud vix fieri potuisse, ita ut illorum tantum scriptorum, qui insequenti tempore prodirent, cognitionem et usum linguae Aramaeae derivandi aliquam viam invenissemus, quae longam anteriorum seriem ne minimum quidem attingeret. In illorum numero sunt Nahumus, Zephania, Habacucus. At vero horum ipsorum Hebraice dicendi genus purius diximus supra multorum, qui integra secula ante scripserunt, nec ullis fere peregrinis additamentis admixtum. Vides igitur, si historia in auxilium vocata lucem afferre velis huic loco, omnem illa confundi magis quam illustrari. Gravissima hic haberi debet auctoritas illius legis, qua cuuscunque aetatis ac gentis quilibet scriptor, si modo sanae mentis est neque ad laudes septentrionalis cuiusdam philosophorum ac theologorum fori adspirat, ultro ipse sese adstringit. Eo enim quisque elaborat, ut quae scribat, intelligant ii, quibus scribit. Ineptum igitur ac subabsurdum esset, si talibus in scribendo uteretur vocabulis formulisque loquendi, quae, licet peregrinae originis, lectoribus tamen haud esse ignota, non certissime sibi persuasum haberet. Id cum de omnibus eodem modo valeat, Hebraeorum quoque scriptores ubique huius legis rationem tulisse, quis dubitet? Quid sibi haec velint, quaeris. Illud ex modo dictis effici puto, Hebraeos ab antiquissimo tempore cum hac illave causa ducti in libris suis voces formasque adhiberent Aramaeae, maxime Chaldaeae, originis, id haud facturos fuisse, nisi certissime ipsis constitisset, talem habere lectores huius linguae notitiam, ut, quae eius essent, non solum statim perspicerent, sed etiam sensum perfecte ac sine molestia assequerentur. Ac cum vix alius gentis scriptorum libri pari celebrarentur vulgari usu, quippe Hebraeorum longe plurimi materiem tractantes, quae publicam spectaret utilitatem ac populi res sive sacras sive civiles vel maxime interesset, non praeter expectationem colligi existimo, Hebraeos in universum linguam Chaldaeam calluisse. Quod ne nimis audacter positum dicas positumque mireris, animo velim consideres, non de lingua agi alienigena, sed arctissime Hebraeae coniuncta cognataque et origine et omni indole atque natura, ita ut hanc discentes simul et illius adipiscerentur notitiam. Haec si vere disputata sunt, statuendum erit, ex quo tempore Hebraei, patria terra Aramaea relicta, in Palaestinam commigrarint, eos nativae ipsorum linguae, etsi deinde immutatae vel, ut rectius dicam, adaptatae ei, qua utebantur Canaanitae indigenae, non multum, ut videtur, ab illa diversae, insequenti aevo nunquam prorsus oblitos, illiusque notitiam nullo tempore ita exstin-



ctam esse, ut poetis vel alius generis scriptoribus ab omni eius usu diligenter cavendum esset, sed propagatam eam ad posteros, veluti in perpetuam patriae memoriam, quam fando tantum noverant, sed oculis nunquam viderant. Non de docta me loqui notitia, res ipsa docet, sed eam dico, ad quam non magistro instituimur, sed quasi ipsa natura a teneris imbuimur, qualem servarunt inter se et per integra secula propagarunt Hebraeae linguae, ab omni publico usu ipsaque vulgari consuetudine repudiatae, Judaei in terris Aegypti et Graeciae habitantes, qualem denique, ut e nostratibus exemplum proferam, quanquam ob maiorem harum linguarum dissimilitudinem non prorsus congruum, Gallicae linguae tenere solent liberi a parentibus oriundi, Gallicam quidem originem ducentibus, sed in Germaniam traiectis et una cum terra patrium quoque sermonem commutantibus, non scholis, non librorum studio eam comparatam, sed ipsa, ut ita dicam, origine sibi imbutam. Itaque Hebraei in Chaldaeorum terris exsules horum linguam non didicisse demum existimandi sunt, sed ratio tantum, quae inter utramque linguam antea apud illos intercesserat, inde ab exilii tempore inversa est, ita ut Hebraeae linguae in vulgari consuetudine librisque scribendis locum Chaldaea occuparet, illiusque usum tam facerent rarum, quam huius fecerant antea. Et hanc permutationem in gente tanto suarum rerum amore odioque exterarum incensa satis miram tam facili opera tamque brevi tempore effectam fuisse vix crediderim, si nova lingua Hebraeis non ante iam innotuisset eiusque ipsi non barbaram atque invisam, sed patriam et amicam originem atque naturam penitus cognitam habuissent.

Sed ut tandem eo revertamur, unde egressi sumus, quaenam sit mutua aetatis et linguae librorum ad se invicem ratio, quidque in ea definienda probe cavendum, ex iis quae disputavimus, facili, opinor, negotio colligi potest. Talis enim est utriusque nexus, ut aetate historicis rationibus explorata, qualis in universum esse debeat linguae indoles, recte concludatur; quod tamen non ita intelligas, ac si singulorum seculorum linguae privum nossemus colorem et habitum, sed eam tantum dico indolis diversitatem, qua distinguuntur inter se libri et ante exilium Babylonicum et postea scripti; male vero concludas ex solo linguae ingenio, qua aetate liber prodierit; nam in aetate ingenium positum esse quidem potest, sed non debet; adeo ut duo pluresve libri cum linguae indole sibi simillimi sint, huius tamen causa in alio alia ac plane diversa esse possit. Itaque si quis recte de aetate libro tribuenda iudicare velit, ei quidem semper



habenda linguae ratio est diligenter; sed secundo tantum argumento ea utatur, primario historicis rationibus. Quae quanquam semper lingua adiuvantur et confirmantur, tamen etiam per se solae spectatae idoneam hac in re habent probandi vim, qualem lingua sola nunquam habet. Universe autem haec dicta proprie valent de Chaldaismis eorumque auctoritate, quam criticam dixi, nimirum ad librorum Hebraeorum aetatem iudicandam saepius, nec iusta semper cautione, provocatam. Cuius erroris, detrectando interdum antiquitatis nomini, quo nonnulli gaudent libri, ut Canticum Canticorum, inservientis, non dubito, quin causam latere dicam in falsa de Chaldaismorum natura existimatione, non aliam fere in origine eorum deducenda, nisi temporis, rationem habente. Quae tamen quam longe aliter sese habeat, quam parum sufficiat adeoque inepta sit ad explicanda huius generis exempla in libris ante exilium scriptis, quam multifaria origo illa, brevis ostendat hie libellus, cuius iam finem faciens tam largam materiam his paucis pagellis exhaustam quidem minime spero, sed alii, me forte feliciter in ea tractanda versaturi, si a me tradita digna habuerint, quae ulterius prosequantur, et gratissimum mihi et honorificum duxero.

E m e n d a n d a :

p. 14. lin. 15. legend. eo pro ea.



Litterarischer Anzeiger

für

Christliche Theologie und Wissenschaft überhaupt.

Den 21. März

N^o 17.

1831.

Uebersicht der neuesten dogmatischen Werke.

(Erster Artikel. Beschluß.)

III. Was heißt glauben, und wer sind die Ungläubigen? Eine biblische Entwicklung von Dr. David Schulz, mit einer Beilage über die sogenannte Erbsünde. Leipzig 1830. S. 278. Pr. 1 Thlr. 15 Sgr.

(Beschluß.)

Ist dem Hrn. Dr. Schulz nicht bekannt, wie schon die scholastische Theologie den Glauben in affectus und cognitio zerlegt, wie die lutherische Dogmatik im rechten Glauben notitia, assensus und fiducia vereint verlangt, wie sie fides historica und viva unterscheidet? Wie kann er das Alles ignoriren, und das, was er giebt statt dessen, als etwas ganz Neues gegenüberstellen! Zwar ist es allerdings richtig, daß Hr. Dr. Schulz auch Neues mittheilt; allein gerade das, was ihm bei dieser Behandlung des Gegenstandes eigenthümlich ist, möchte sich am allerwenigsten rechtfertigen lassen. Wenn er nämlich, anstatt der wohlbegründeten älteren dogmatischen Ansicht, daß im religiösen Glauben die drei Momente der notitia, des assensus und der fiducia zusammenkommen müssen, einzig und allein das Moment des Vertrauens heraushebt, so ist dies offenbar eine Einseitigkeit. Nicht nur ist dieses Moment nicht das einzige, sondern auch nicht das erste. Ehe es ein Vertrauen giebt, muß es ein Fürwahrhalten, ein Ueberzeugtseyn geben. So ausdrücklich Hebr. 11, 6. Eben dieses Moment hebt die Definition des Glaubens Hebr. 11, 1. hervor. Das erkennt nun auch Dr. Schulz an, indem er als die vierte Bestimmung über das πιστεῖν hinzufügt, daß es auch die Gewissheit, Zuverlässigkeit voraussetze, und zu diesem Ende eben Hebr. 11, 1—6. anführt. Er setze nun an die Stelle von Gewissheit: „festes Fürwahrhalten, Ueberzeugung,“ so ergiebt sich ihm als die Definition des Glaubens eben das, was er ganz ausschneiden möchte. Darin aber hat er nun allerdings recht, und das darf nicht übersehen werden, daß dieses religiöse Fürwahrhalten, von dem das N. T. redet, nicht bloß ein Act des berechnenden Verstandes ist, sondern die Folge einer innern Nöthigung, einer Bewegung des Innern, weshalb

